

ANALECTA THEODORETIANA

Posteaquam vere anni 1900 libellum, qui inscribitur *De Theodoreti Graecarum affectionum curatione*, in lucem emisi, in animo mibi erat editionem huius Theodoreti operis quam primum comparare. Neque tamen mibi licuit operam meam tam celeriter absolvere, quam speraveram. Paucis enim mensibus, postquam prodierat libellus meus, benevolentia viri doctissimi meisque studiis summo opere faventis, Ioannis Mercati, certior factus sum, in bibliotheca Vaticana etiamtum latere codicem praestantissimum Theodoreti Curationem continentem, qui me antea in illa bibliotheca versantem effugisset neque omnino umquam diligentius inspectus esset. Itaque textus recensendi operam tam diu differre constitui, quoad huius codicis ingenium penitus cognovissem: Exitu vero anni 1901 cum Romam me contulisse, codicem inspexi totumque contuli, quo factum est, ut de quaestionibus nonnullis ad textus recensionem pertinentibus certius iam diiudicare possim quam antea.

Codex est Vaticanus 2249, olim Columnensis 88, membraneus in 8^{vo}, foliorum 320, saeculi, ut videtur, decimi. Continet foll. 1—163 varia Dionysii Areopagitae opera, fol. vero 164 incipit Theodoreti Curatio, quae codicem explet usque ad finem. Sicut aetate praestat ceteris codicibus omnibus, quibus asservata est Theodoreti Curatio, ita, licet locis haud paucis neglegentia quaedam librarii appareat, bonas tamen scripturas tam saepe exhibet, ut affirmare liceat, huius maxime auctoritate genuina Theodoreti verba revocari posse. Nec raro etiam confirmare mihi videtur, quae antea disputavi; est tamen, ubi me erravisse ex eo edoctus sim. Quo melius intellegantur, quae infra disputabo, primum iterare libet summam eorum, quae de ceteris codicibus in libello supra nominato exposui.

Codicum genera tria distinxii, quorum primo praesunt Bodleianus Auct. E. II. 14 (signatus littera B) et Laurentianus

X 18 (L), alteri Parisinus Coislinianus 250 (C) et in priore operis parte Vaticanus 626 (V), tertio Scorialensis X. II 15 (S). Huc accedit mixtum genus, ad quod pertinet imprimis Marcianus 559 (M) et in posteriore operis parte etiam cod. V modo commemoratus. Longe optimos habui codices generis primi (BL), eum secundi generis codices (CV) mixtique (M) etiam ex parte non solum scribendi erroribus satis multis, sed etiam interpolationibus laborent; ad tertii denique generis codices (S), quamquam vitiis haud paucis inquinati sint, saepe tamen velut ad arbitros configiendum esse existimavi. Hoc tamen ex locis a me tractatis mihi apparere videtur, si errores tantum scribendi spectemus, cum CV potius coniungendum esse codicem S, interpolationibus tamen plerisque vacare, quibus abundant illi.

Redeamus nunc ad codicem nostrum Vaticanum 2249, quem K littera signare libet. Qui quamquam, ut dixi, aetate pariter ac bonitate ceteris praestat, nullus tamen illorum ex eo descriptus esse potest. Vitia enim praebet nonnulla, quae in nullo alio codice inveniuntur. Praef. 10 (p. 2, 29 Sylb.) praebet ἔδει καὶ τῶν θυσιῶν (καὶ τῶν θυσιῶν ἔδει cett.), II 85 (p. 33, 37) om. solus ψυχὴν, ac continuo post praebet προσονομάζουσι pro προσαγορεύουσι, III 22 (p. 42, 1) praebet ἐκάλεσαν pro ὀνόμασαν, V 22 (p. 78, 16—17) om. solus verba ἐν τῇ κοιλίᾳ τῆς καρδίας· οἱ δὲ ἐν τῷ αἷματι καὶ οἱ μὲν, VII 21 (p. 105, 42) praebet θεραπεύων pro ιατρεύων, VIII 4 (p. 111, 17—18) om. solus verba ἀφορῶντες ἀλλὰ τὸν οἶνον θαυμάζοντες, IX 69 (p. 134, 40) praebet βίον pro χρόνῳ.

His expositis alii loci afferendi sunt, ubi K codex solus veram scripturam servavisse videtur. IV 53 (p. 65, 21) praebent ῥῆστον ἀπάντων τῶν ποιητῶν BLMCV, et ῥῆστον ἀπάντων τῶν ποιήσεων S, quam scripturam in codice etiam Palatino 214 invenit Sylburgius, edidit autem e conjectura ῥῆστον ἀπασῶν τῶν ποιήσεων; veram scripturam ῥῆστον ἀπάντων τῶν ποιητέων servavit K. Reete etiam ἡβρυσμένων praebet V 8 (p. 70, 45) (ἡβρυσμένων S, ἡβρισμένων BL, ἡκριβωμένων V et Pal. 214, om. MC). V 14 (p. 71, 37) inter verba Philolai formam doricam σάματι solus servavit (σώματι BL, σήματι MSCV et Clementis cod. L). Denique animadvertisendum est, IV 11 (p. 57, 45) solum eum praebere Ἔκφαντος, quam scripturam confirmat Stobaeus (Ἐκφατος BL, Διόφαντος MSCV), sicut IV 12 (p. 58, 3) Μνασέου (non Μναστίου) cum Plutarcho.

Satis igitur demonstrasse mihi videor, K codicem, eum

locis hand paucis proprias scripturas, bonas alias, alias pravas, exhibeat, nullo modo neglegendum esse. Saepius vero accidit, ut locis, ubi ceteri codices inter se dissentiant, a K codice scriptura alterutra confirmetur. Itaque quid ipse scripserit Theodoretus, nunc certius quam antea dijudicare possumus.

Nec dubium esse potest, quin ad codices optimos BL proxime accedat codex K. Cum huius generis codicibus id commune habet, ut praefatio operis inscribatur προθεωρία (deest tamen initium in L), cum in ceteris aut verbo ὑπόθεσις aut omnino non inscribatur. Praeterea vitia nonnulla maioris momenti cum illis communia habet. II 9 (p. 22, 37) cum BL om. ἀρχὴν, quod desiderari nequit, II 24 (p. 25, 10) cum iisdem praebet μνημονικὸν pro μὴ μόνιμον, IV 59 (p. 66, 20) cum iisdem verba μεταλαυχοῦσιν οὕτε σμικρούμεναι pessime transposuit post κιχρώμεναι, V 77 (p. 83, 22) cum BLM om. verba καὶ ἀρετῆς ἐφιέμεθα, VI 30 (p. 90, 25) cum L om. verba τῆς μεγίστης πόλεως τοῦδε, et lacuna est in B, VII 9 (p. 103, 53) cum BL om. verba σεμνολογοῦσι καὶ. Denique totam sectionem X 27 om. cum BL, dubium rectene.

Quamquam igitur ad BL propius accedit K quam ad ceteros omnes, non tamen cum iis prorsus in unum coniciendus est; multo enim artiore vinculo illi inter se conexi sunt. Antea autem, K codice nondum adhibito, saepius locus erat dubitationi; magno enim aestimandi erant BL, neque tamen omnibus locis sequendi. Nunc vero, ubi accessit auctoritas codicis K, affirmandum non est illud quidem, hunc cum illis consentientem semper veram scripturam exhibere — nam vitia quaedam, ut demonstravi, communia habent —; at si ceterorum codicum scriptura a K confirmatur, errorem codicum BL plerumque deprehendere licet. Minutus igitur est numerus locorum dubitationi obnoxiorum.

Exempla affero haec. I 54 (p. 12, 9) cum SCVBγρ. Μγρ. praebet πτίλοις, non πτεροῖς, quod exhibent BLM, et quod in illo proverbio, de quo agitur (τοῖς σαυτοῦ πτεροῖς ἥλως), alibi quoque invenimus. De hoc loco in dissertatione mea (p. 53) dubitaveram; nunc vero in codicibus BLM interpolationem subesse potius crediderim. II 25 (p. 25, 13) manifesta corruptela codicum BL τὴν τοῦ τερατώδους Πυθαγόρου σοφίαν pro τὴν τερατώδη Πυθαγόρου σοφίαν in K non invenitur; rectius etiam II 94 (p. 34, 48) ἀποστολικῇ καὶ προφητικῇ idem praebet cum MSCV quam προφητικῇ καὶ ἀποστολικῇ BL (cf. diss. mea p. 49). Praetulerim etiam II 101 (p. 35, 47) scripturam codicum KMSCV

δονομάζεται (προσαγορεύεται BL). Eadem ratione errores codicum BL deprehenduntur locis, qui sequuntur: III 75 (p. 49, 52) τὰς ἀγαλματοποῖας pro τῆς ἀγαλματοποῖας τὰ πλεῖστα, III 105 (p. 55, 31) φιλίαν pro δουλείαν, IV 63 (p. 67, 7) δυναμένην pro δαπανωμένην, IX 11 (p. 124, 40) πολιτείαν BLMV pro ἡγεμονίαν, IX 21 (p. 126, 38) νομοθετών BLMV pro νόμων. Denique XI 5 (p. 152, 16) forma soloeca γνώσησθε a BL praebita, quam in dissertatione mea (p. 72) prorsus respuere ausus non sum, a K non confirmatur; praebet enim γνῶτε cum ceteris plerisque (γνώσητε M).

Sunt etiam loci, ubi K codex cum uno vel paucis codicibus eorum, qui generis diversi sunt, scripturam habeat communēm, quae vera esse videatur. Praef. 5 (p. 1, 32) non dubito, quin recte praebent σοφῶν KS, om. autem ceteri. Etiam Praef. 13. (p. 3, 7) melior est scriptura οὐδὲν προγινώσκοντες, quam praebent KSBγρ. Μγρ. Σγρ., quam altera scriptura a BMCV exhibita, οὐδὲ μέρος γινώσκοντες, et Praef. 17 (p. 3, 35) ante εἰρημένων bene addunt εῦ KM. Recte iidem et VS m. sec. V 3 (p. 69, 35) praebent αὐτὴν pro αὐτῇ, et XII 65 (p. 174, 50) δρῶντα post μαχομένας recte praebent KS soli, om. autem LM, et post διακωλύειν exhibent CL m. sec. Neque tamen semper pro vera habenda est ea scriptura, quam K codex cum codicibus generis diversi communem habet. Sunt enim vitia quoque communia locis nonnullis, eius tamen generis, ut ea de causa dubitari non liceat, quin cum BL codicibus K artius cohaereat. Nam levia quaedam vitia eiusmodi sunt, ut et hic et illic casu oriri potuerint.

I 49 (p. 11, 20) τῶν φιλοσόφων τὰ δόγματα praebent KS pro τὰ τῶν φιλοσόφων δόγματα, I 86 (p. 15, 33) βοῶν pro εἰπών, I 90 (p. 16, 9) ὠνόμασεν KV (εἴπε S, ἐκάλεσε BLMC, praecedit autem aliud ἐκάλεσε), V 6 (p. 70, 15) διὰ τοῦ προφήτου προσενεγκῶν KM pro προσενεγκῶν διὰ τοῦ προφήτου, V 71 (p. 82, 14) λόγους KSCV pro λόχους, VIII 17 (p. 113, 44) πυρὰν νήσας καὶ ἔαυτόν τε καθεὶς KS (καταθεὶς recte BL, ἐν τῷ ποταμῷ πλησιάζοντί τε ἔαυτὸν καθεὶς CV per interpolationem), IX 60 (p. 133, 8) om. νόμων KC, nec potest desiderari, sed post σκυτοτόμου facile excidere potuit, IX 72 (p. 135, 2) πόλις KSC pro πολιὰς. Magis dubito de VIII 52 (p. 119, 42), ubi scriptura codicum BLMV τῆς τῶν πραγμάτων βοώσης ἀληθείας melior mihi videtur quam illa codicum KSC τῆς τῶν πραγμάτων φωνῆς βοώσης, quae interpolationem olet.

Restant loci, ubi cum BL consentit K. Apparet autem, si

hi inter se artius conexi sint, his locis minus valere codicis K testimonium quam illie, ubi cum alterius generis codicibus consentiat, ac locos iam attuli, ubi illi vitia communia exhiberent. Sed est etiam, ubi veram scripturam tradant. Praetuli iam antea I 21 (p. 7, 18) scripturam codicum BL φησὶ (pro φασὶ) sicut IV 67 (p. 68, 7) eorundem τερετιζόντων (pro κιθαριζόντων, quod inepte dicitur de cicadis); utrubiique autem K cum BL consentit. Praeterea IV 70 (p. 68, 37) melius KBLM ἀσπαρτος καὶ ἀνήροτος (verba sunt Homeri i 123) quam SCV ἀνήροτος καὶ ἀσπαρτος, sicut V 75 (p. 82, 47) melius KBLS καταστέλλων quam MCV κατασπῶν. VIII 66 (p. 122, 24) scriptura codicum BL οἱ δὲ τί γάμος οὐκ ἐπιστάμεναι a K confirmatur (ἔτι γάμους SCV pro τί γάμος). Sed manifestum est, unoquoque loco rem diligenter deliberandam esse.

Cum multis locis non solum ipsius Theodoreti, sed eorum quoque scriptorum, quorum verba exscripsit, Clementis maxime et Eusebii, codices nobis consulendi sint, hoc loco etiam illud quaerendum est, quam bene K codex cum his consentiat. Cum vero ex ceteris codicibus BL ad Clementem et Eusebium proprius accedant, plura etiam ille cum iis communia habet. Quod quamquam ad praestantium eius comprobandum non nihil valet, memoria tamen tenendum est, cum locis permultis magna negligentia auctores suos Theodoretus exscripserit, etiam hoc fieri potuisse, ut scripturae Clementis vel Eusebii in Theodoreti codices per interpolationem inferrentur.

I 48 (p. 11, 14) cum LS et Eusebio recte ᔁχονται praebet K (ἐχόντων B, ᔁχοντος M, ᔁχοντα CV), VI 23 (p. 89, 1) solus recte praebet καὶ δὴ καθ' ἄδην (καὶ δὴ καὶ καθ' ἄδην ceteri, καὶ τὸρ καθ' ἄδην Clem. et Eus.), VI 43 (p. 93, 11) cum C et Plat. et Eus. praebet δὴ φῶμεν (Δημοφῶν ceteri corrupte), IX 38 (p. 129, 36) Platonis scripturam ὀτελῆ (τοῦ γελοίου σοφίας δρεπόμενος καρπὸν) servavit K, apud Eusebium vero in ὀτε δὴ corrupta est, et ceteri Theodoreti codices sic tradunt: ὀτε διὰ BLSV, ὀτε δὴ διὰ MC. Discimus ex his locis, codicum scripturas non nimis religiose servandas nobis esse.

Sed est etiam, ubi K codex, etsi cum Theodoreti fontibus consentiat, scripturam tamen ab illo alienam conservasse videatur. I 107 (p. 18, 21) in ceteris omnibus codicibus legimus τὴν δὲ ἐπιστήμην ἔξιν ἀμετάπτωτον μετὰ λόγου; K solus cum Clemente (Strom. II 2, 9. II 17, 76) ὑπὸ praebet pro μετὰ. Videtur e Clemente illatum esse. VI 12 (p. 87, 4) male sequitur C et Euse-

bium οὗτω δὲ καὶ τὸ χρεῶν εἰρῆσθαι praebens; recte autem BL οὗτω δὲ καὶ χρεῶν παρὰ τὸ χρέος εἰρῆσθαι; scilicet sic etiam apud Eusebium scribendum est. Quomodo factum sit, ut II 80 (p. 33, 8) cum CV consentiens χρόνον praebeat K, nescio (λόγον BLMS, τρόπον Plat. et Clem. et Eus.). Haec habui de codice Vat. 2249 quae dissererem¹.

In dissertatione mea, quam antea commemoravi, scriptores nonnullos indicavi, qui Theodoreti Curationem exscripserunt (p. 65 sqq.); fuerunt autem Anastasius Sinaita atque Demo, Homeri interpres, quae vero apud Michaelem Glycam Theodoreti verba reperiuntur, ab his sumpta esse suspicatus sum. Iis, quae tunc exposui, quaedam addere placet.

Vidit iam Gaisfordius, partem eorum, quae leguntur apud Theodoretem VI 26 sqq., apud Suidam inveniri s. v. Πλάτων, sin vero Suidae editionem Bernhardianam consulas, non haec solum, sed etiam articulos Σαρδανάπαλος et Σατανᾶς magna ex parte a Theodoreto sumptos esse invenias. Neque tamen existimandum est, Theodoreti Curationem Suidae notam fuisse. Apparet enim, haec omnia Suidam a Georgio Monacho mutuatum esse. Omnia, quae de Platonis doctrina Suidas narrat, locique ex eius scriptis desumpti iisdem fere verbis leguntur in Georgii Chron. II 8 (p. 58—62); articuli vero Σαρδανάπαλος et Σατανᾶς sumpti sunt e I 6 (p. 9—10) et II 7 (p. 55). Haec tam manifesta sunt, ut pluribus verbis opus non sit; notum autem est, permulta omnino Georgii apud Suidam reperiri². Sed cum non solum Suidas Georgium, verum etiam Georgius Theodoretem verbo tenus exscripserit, factum est, ut haud raro ipsa Theodoreti verba apud Suidam inveniantur³.

¹ De codicibus Theodoreti Curationis haec addere placet. Asservata est etiam in cod. Vaticano Urbinati 117 (saec. XV), fol. 169 sqq. Evulsius autem sex quaternionibus, lacuna est a I 71 usque ad VI 37. Hic codex affinis est codici S, quocum praeter alia id commune habet, ut praefatio vocetur ὑπόθεσις, et ut XI 34 novus libri titulus Περὶ μετεμψυχῶσεως inveniatur. Praeterea initium operis usque ad I 27 invenitur in cod. Vaticano 1949, fragmentum exiguum in Vaticano 1898, aliud in Athoo 4508, ut indicat Lambros in catalogo.

² Vid. Krumbacher: Geschichte der byzantinischen Litteratur 2566 sq.

³ Codicis Vaticani 1296, qui Suidae lexicon continet, primum

Sed multis locis praeter eos, quos indicavi, Georgius Theodoreum exscripsit vel compilavit. Ego eos afferam, qui mihi innotuerunt; sunt fortasse etiam alii, his vero satis res demonstratur. I 6 (p. 9) quae de Sardanapalo tradit Georgius, a Theodoreto XII 93—94 sumpsit. Tum vero II 6 (p. 52—53) de barbaris artium inventoribus Th. I 19—20 sequitur. Dein transit ad philosophorum sententias de mundo exponendas Th. IV 16 secutus. Anaxagoram et Pythagoram et Platonem ab Aegyptiis eductos esse (p. 54), sumpsit a Th. II 23—24. Sequitur expositio de deorum gentium origine; quae de ea disputat Georgius (p. 54—55), omnia compilavit e Th. III 7. 44. 49. 85. 23—33. 59, quae vero sequuntur de Satana (p. 55—56), sumpsit a Th. III 100—102. Dein (p. 56—57) barbarorum virtutes extollit; utitur autem verbis Theodoreti V 69—75. In capite sequenti (II 8) agit de Platone. Praemittuntur quaedam de atomis sumpta a Th. IV 10, dein vero aliorum philosophorum sententiae de fortuna et fato exponuntur. Sequitur autem (p. 57—58) Th. VI 14—15. 9. 7. V 48. 28. Ceteris philosophis Platonem opponit, quippe qui liberum hominum arbitrium esse contenderit Deumque mali causam esse negaverit (p. 58—61); verba exscripsit Theodoreti V 29—30. 33. 44—47. II 33—34. V 34—35. 37—38. VI 26—31. Statim subiungit Platonis sententias de iudicio post mortem futuro (p. 61—62); sequitur autem Th. I 119. XI 25—27. Haec vero omnia Platonem in Aegypto ab Hebraeis didicisse ait; addit autem verba eiusdem, quae affert Th. II 78. Denique iteratis, quae de falsis gentium opinionibus antea disputaverat (affert autem p. 64 verba Theodoreti III 86), iisdem verbis utens, quibus utitur Th. VI 87—88, post Christi adventum omnia commutata esse contendit (p. 64).

His locis e posterioribus Chronicorum partibus alii addendi sunt, qui ipsi quoque a Theodoreto sumpti sunt. III 119 (p. 261) de anachoretis agit iisdem verbis, quibus utitur Th. III 92—93. Transit deinde ad virtutem activam tractandam (p. 261—266), Theodoreum ut antea exscribens (XII 4—7. 35—36. 30—31.

folium atque ultimum (fol. 556) quaedam e Theodoreti Curatione continere ait Mercati (Giovanni Mercati: Note di letteratura biblica e cristiana antica p. 210 sq.). At sunt re vera Georgii: fol. 1 inc. ἀλλὰ καὶ ἄλλοι , des. . . . διαρρήσην οἱ προφῆται διδάσκουσιν πα (i. e. Georg. Chron. II 8 (p. 60—61)), fol. 556 inc. καταλύσεως καὶ ἔστιν φησίν , des. . . . ἡ πρὸς τὸ οὖς ἥχος ἐγέ (i. e. Georg. Chron. II 6 (p. 51—53)).

II 36—37. XII 43—46. 53. 55—57). Denique IV 218 (p. 530—531) de animarum aeternitate ac iudicio supremo agit secutus Th. II 22. V 13. XI 40—41. 35.

Facile est intellegere, maxima socordia in Theodoreto exscribendo Georgium egisse. Locos Theodoreti e diversis Curationis partibus petitos alium alii subiecit, paucis commutatis vel omissis vel de suo additis. Evenit autem, ut verba Theodoreto apta, sibi inepta immutata reliquerit. Loquitur Theodoretus V 73 de Ismaelitis, de quibus utitur verbis οἱ νομάδες, οἱ ἡμέτεροι πρόσχωροι; etiam apud Georgium p. 56 legimus οἱ παρ' ἡμῖν νομάδες καὶ πρόσχωροι; dicit Theodoretus V 72, de Persarum ingenio testari posse, εἴ τις νῦν πρεσβεύων ἡ στρατηγῶν ἡ ἐμπορίαν τινὰ μετιών αὐτοῖς συνεγένετο; idem dicit Georgius p. 56, cuius tempore Persarum regnum occiderat. Legimus apud Georgium p. 57: καὶ γοῦν Δημόκριτος περὶ τούτου οὕτως εἶπεν· καὶ γάρ τὰ μὲν ἐκ θεοῦ πάντες ἔχομεν, τὰ δὲ ἐκ τῆς εἰμαρμένης καὶ τύχης καὶ τῶν σμικροτάτων ἑκείνων σωμάτων καὶ πρόδηλως φερομένων ἄνω καὶ κάτω παλλομένων καὶ περιπλεκομένων τε καὶ δισταμένων καὶ περιφερομένων ἐξ ἀνάγκης, quae verba aliquantum mutata sumpsit a Th. VI 9; Democritum vero ita locutum esse, non dixerat Theodoretus. Statim subiungit haec verba a Th. VI 7 sumpta: ἀφ' οὗ οὐ μόνον πλούτον καὶ πενίαν καὶ ύγιειαν καὶ νόσον καὶ δουλείαν καὶ ἐλευθερίαν καὶ πόλεμον καὶ εἰρήνην διανέμειν, ἀλλὰ καὶ ἀρετὴν καὶ κακίαν ἀποκληροῦν ἔφη, ubi illud ἀφ' οὐ, quod deest apud Theodoretum, nihil habet, quo respiciat; ceterum Theodoretus non Democrito, sed Aristoteli haec verba tribuerat. Similiter quae III 49 de Graecis narraverat Theodoretus, dicit Georgius p. 54 de Aegyptiis, nam quae praecedunt (apud Th. III 44), dicta erant de Aegyptiis, nec melius p. 55 Romani dicuntur malos daemonas ut deos coluisse, nam de illis non loquitur Th. III 59.

Accidit etiam, ut verba Theodoreti prorsus mutaverit Georgius vel alium sensum iis subdiderit; plerumque enim male intellexisse videtur. Sicut cum Theodoretus IV 10 de parvis illis corporibus locutus esset, ἀ διὰ τῶν φωτάγων εἰσβάλλων δῆλιος δείκνυσιν ἐν ἕαυτῷ ἄνω καὶ κάτω παλλόμενα, dicit Georgius p. 57: δείκνυσιν ἕαυτὸν ἄνω καὶ κάτω παλλόμενον; quamquam hoc fortasse librariis imputare licet. Male vero intellexit Theodoreti verba XII 57: καὶ δὲ Σωκράτης δὲ φυλάττεσθαι ἐκέλευσε τὰ ἀναπείθοντα μὴ πεινῶντας ἐσθίειν καὶ μὴ διψῶντας πίνειν, quae sic reddidit p. 266: ἔτι δὲ πάλιν Σωκράτης φυ-

λάττεσθαι σφόδρα καὶ παρατηρεῖσθαι τὴν ἀκρασίαν διδάσκων ἔφη, μὴ πεινῶντας λίαν ἐσθίειν καὶ μὴ διψῶντας πολλὰ πίνειν. Sensus igitur plane commutatus est. Aliis locis sensu non commutato pauca addidit de suo. Dixit Th. V 46: ὁ δὲ Ἀριστοτέλης ἔτι ζῶντι τῷ Πλάτωνι προφανῶς ἀντετάξατο; legimus apud Georgium p. 58: Ἀριστοτέλης δὲ τάλας εἶ προφανῶς τε καὶ ἀναισχύντως. Infra Th. V. 47: καὶ γάρ δὴ τὴν ψυχὴν ἐκείνου φάντος ἀθάνατον, οὗτος ἔφη θνητήν, Georgius vero p. 59: καὶ γάρ δὴ τὴν ψυχὴν ἐκείνου εἰπόντος τριμερῆ καὶ ἀθάνατόν τε καὶ θεοειδῆ, αὐτὸς θνητήν ἔφη καὶ ἐπίκαιρον.

Quaerendum est denique, quid verba genuina Theodoreti nobis restituere conantibus excerpta Georgii valeant. Confitendum est, cum ipse Georgius Theodoretum exscripsiterit negligenter, ac praeterea opus illius pessime editum sit, nihil fere subsidii ex eo peti posse. Locis tamen quibusdam utile erit indicare, quibuscum codicibus nostris consentiat Georgius. Igitur III 100 (p. 54, 23) om. Georgius verba ἡ θεία γραφή eum KBLS, III 101 (p. 54, 33) exhibet τοῦ τύφου τὸ πάθος eum KBL, ibid. (p. 54, 39) om. δὲ eum KBLS, VI 30 (p. 90, 25) om. verba τῆς μετίστης πόλεως τοῦδε eum KL (lacuna est in B). Rursus autem V 75 (p. 82, 47) cum MCV praebet κατασπῶν, non καταστέλλων, et VI 30 (p. 90, 26) praebet γενέσθαι eum CV (γίνεσθαι cett.); praeterea autem V 30 (p. 74, 37) eum KM et Plat. et Eus. om. verba εἰναι ἀρχὴν ἥ; ibidem vero (p. 74, 38) cum Plat. et Eus. praebet ἀνθέλκειν τοῖς ἄλλοις νεύροις ἔκαστον, atque sic etiam apud Theodoretum scribendum esse videtur (ἀνθέλκειν τοῖς ἄλλοις μετρίοις ἔκαστον K, ἀνθέλκειν μετρίως τῶν τοῖς ἄλλοις ἔκαστον μετρίως ἔκαστον M, ἀνθέλκειν μετρίως τῶν ἄλλων ἔκαστον cett.).

Iam in dissertatione mea (p. 66) annotavi, locos Theodoreti III 100—102, VI 30—31, VII 16—21, XII 89—94 etiam ab Anastasio Sinaita exscriptos esse. Vidimus nunc, eosdem fere locos (praeter VII 16—21) a Georgio exscriptos esse, sed plures etiam hic addidit. Accedit, quod locis modo indicatis, ubi codicūm scripturae differunt, eum Georgio consentit Anastasius, ac praeterea pro verbis Theodoreti VI 31 (p. 90, 37—39) καὶ ταῦτα Ἡσαΐας καὶ Ἱεζεκὴλ καὶ πάντες οἱ προφῆται διαρρήδην διδάσκουσι exhibent illi ὡς [διαρρήδην Georg., καὶ Anast.] οἱ προφῆται διδάσκουσι. Quo modo explicabimus hanc congruentiam inter Anastasiūm atque Georgium? Exscribere Anastasiūm Georgius non potuit, quia locos multo plures hic exhibet, nec si

quis contendat, illa Anastasii capita spuria esse et e Georgio exscripta, hoc ei credere possumus; nam e Georgio nemo intelligere potest, omnia sumpta esse a Theodoreto, quod diserte indicatur apud Anastasium. Nihil igitur relinquitur, nisi ut excerpta quae-dam e Theodoreti Curatione iam antiquitus facta esse suspicemur, e quibus et Anastasium et Georgium sua hausisse credendum sit.

Exstat etiam fragmentum libri nuper repertum, in quo quae-dam inveniuntur e Theodoreti Curatione exscripta. Edidit Mercati in libro, quem antea commemoravimus¹, e codice palimpsesto Vaticano 1853. Fragmentum est martyrii Trophimi, qui cum praefecto (ἥγεμόνι) aliquo altercans inducitur, ita ut a poetis et scriptoribus antiquis uteque arma petat. Recte vidit Mercati, locos scriptorum antiquorum eosdem Trophimum afferre, qui inveniantur apud Theodoretem VI 22—34, Epicharmi, Diphili, Pindari, Platonis, Mosis, atque ordine quoque eodem. Neque locos solum afferit eosdem; iisdem verbis etiam utitur Trophimus, quibus ipse Theodoretes, mutatis tantum, quae res mutare iubebant, si excipias discrepantias quasdam exiguae. Sicut Theodoretes VI 27, allatis verbis Platonis Legg. IV p. 715 E—716 B, sic prosequitur: διὰ τούτων ὁ φιλόσοφος καὶ τὸν τοῦ παντὸς ἔδειξε κηδεμόνα καὶ τὴν ἐπί τινων ἔσθ' ὅπῃ μακροθυμίαν καὶ τὴν ἐντεῦθεν τοῖς ἀνοήτοις προστινομένην λώβην καὶ τὴν εἰς ὕστερον αὐτοῖς ἐπιφερομένην πανωλεθρίαν. Eadem fere Trophimus praefecto: ἔχεις διὰ τούτων ἐπιγνῶναι, εἰ βούλει, καὶ τὸν τῶν πάντων κηδεμόνα καὶ τὴν ἐπί τινων μακροθυμίαν ἔσθ' ὅπῃ καὶ τὴν προστινομένην λώβην τοῖς κατὰ σὲ ἀνοήτοις καὶ τὴν ἐπαχθησομένην αὐτοῖς πανωλεθρίαν εἰς ὕστερον. Mutata sane est verborum collocatio, ac praeterea verba Theodoreti colloquio aptata sunt (ἔχεις ἐπιγνῶναι — τοῖς κατὰ σὲ ἀνοήτοις); cetera omnia congruunt.

Mihi quidem dubium esse non potest, quin is, qui martyrium confecit, Theodoretem exscripsit. Dubitat sane Mercati et ex uno fonte utrumque hausisse potius existimat. At locos, de quibus hic agitur, ab Eusebio sumpsit Theodoretes, neque iure obici potest, me quoque locis quibusdam aliunde Theodoretem hausisse opinatum esse (vid. Mercati p. 221); illis enim locis, ubi omnia Theodoreti cum Eusebianis optime congruunt, alii fonti

¹ Giovanni Mercati: Note di letteratura biblica e cristiana antica (Romae 1901), cap. 15, p. 207 sqq. ('Un' apologia antiellenica sotto forma di martirio').

nullus relinquitur locus; nam Eusebium sexcenties exscripsit Theodoretus. Nec maiore iure huic sententiae obici potest, in martyrio duos locos Homeri (Σ 392—400, A 2⁸⁶) afferri, qui apud Theodoretum non inveniantur; verba enim Homeri non afferuntur a Trophimo, sed a praefecto. Scilicet res ita se habet, ut uterque poetarum atque scriptorum locis utatur, cum praefectus Christianos Deumque eorum irrideat, Trophimus Dei providentiae confidendum esse antiquorum testimoniis adhibitis demonstraret. Itaque qui martyrium conscripsit, Trophimo e Theodoreti armamentario tela ministravit, praefecto vero sumpsit aliunde. Neque tamen pro certo confirmari potest, ipsum Theodoretum eum legisse. Nam cum loci e Theodoreto exscripti (VI 22—34) iidem fere sint, qui etiam apud Anastasium et Georgium inveniuntur, fieri potest, ut ille quoque excerptis usus sit.

Cum palimpsestus codex, qui Trophimi martyrium continet, omnibus Theodoreti codicibus aetate praestet (videtur esse saeculi IX), quaerendum est denique, quidnam nobis subsidii ad Theodoreti textum recensendum praebeat. Sed vel ea de causa minus praebet martyrium, quia non omnia Theodoreti verba diligentissime ibi exscripta sunt. Sicut VI 23 (p. 88, 51) pro Theodoreti verbis ἀληθῆ φιλοσοφίαν τῇ κωμῳδίᾳ προσμίζας in martyrio legimus τῇ κωμῳδίᾳ φιλοσοφίαν ἀληθῆ ἐπιμίξας, ibid. (p. 89, 1) γνωρίζομεν pro νομίζομεν, VI 25 (p. 89, 16) ἀκάματον pro παναλκῇ. Rursus autem in locis ab ipso Theodoreto neglegenter e fontibus exscriptis cum eo aliquoties consentit martyrium, ut VI 22 (p. 88, 48) uterque praebet διαφεύγει (έκφεύγει Clemens et Eusebius), VI 23 (p. 89, 1) καὶ δὴ καὶ καθ' ἄδου martyrium cum Theodoreti M (ἄδην ceteri codd., καὶ vero posterius, quod cum metro discrepat, om. solus Theodoreti K; καὶ γὰρ καθ' ἄδην Clem. et Eus.), ibid. (p. 89, 5) ante θεός add. δὲ cum Theodoreti MS. Videtur igitur martyrium M codicem magis quam ceteros sequi, sed VI 26 (p. 89, 32) cum KL add. καὶ post φλέγεται, verba autem sequentia τὴν ψυχὴν exhibet, quae desunt in M. Ceterum M codex non est inter optimos; quaedam tamen vicia eius iam antiquo tempore orta esse videntur.

Quamquam igitur ad textum recensendum vel emendandum nihil fere adiuvamur ab iis, qui Theodoretum exscripserunt, id ipsum tamen, quod toties exscriptus est, dignum est, quod animadvertiscamus. Apparet, Theodoretum saeculis proximis ac Byzantinorum quoque aetate magis lectum esse, quam ego aliique credidimus.

Hauniae.

Ioannes Raeder.